


413



411

417

407

eos, et aedificaverunt pontes ad LX insillas per circuitum Rivoalti  
 jacentes, in quibus ecclesias et templa et regias ac amplissimas  
 aedes et grandia monasteria aedificaverunt et pontibus conjunxe-  
 runt, ita, ut unius civitatis esse corpus videretur, quamvis sint  
 plures distinctae civitatiunculae, per canalia media junctae tamen  
 pontibus multis lapideis et ligneis. Unde non solum usus gramma-  
 ticorum privavit nomen illius urbis singulari numero, sicut contigit  
 civitati Athenarum, sed etiam realis habitudo illius urbis ostendit,  
 eam carere singulari numero, ut non dicamus Venetia,  
 Venetiae, sed Venetiae, Venetiarum, cum sint plures civitates  
 unius civitatis. Quamvis autem urbs illa sit multipliciter per ca-  
 nalia distincta, principalis tamen divisio ejus est per canale magnum,  
 quod quasi medianam urbem secat. In una parte est ecclesia S. Marci  
 cum ducis palatio et latissima platea, et praeter regias aedes  
 duo conventus Praedicatorum et archanale et fonticus Teutoni-  
 corum et multa alia. In alia vero parte est Rivoaltum, cum  
 grandi foro et platea, et conventus fratrum Minorarum magnus, et  
 multa alia monasteria et ingentia aedificia, nec loqui permittit me  
 stupor, dum convertere me volo ad singularia, propter multitudi-  
 nem, magnitudinem et pretiositatem structurarum. Quid de ducis  
 palacio dicere possum, altum, amplum et pretiosum ab extra undi-  
 que a summo usque deorsum polito et vario marmore vestitum,  
 pretiosis columnis fulcitum, triclinia, solaria, coenacula, camerae  
 et cuncta habitacula usque ad cubiculum ducis lustravi, quae miris  
 picturis, auro et coloribus pretiosis decora nimis exstant. Supra  
 palatium in alto est viridarium, arboribus pomerantiarum et aliis  
 virgultis aromaticis consitum; similiter et aliae domus polito mar-  
 more nitent, magis autem regiae, quae modo aedificantur, quae  
 non solum polito marmore et vario, sed auro fulgent, quo vestitae  
 sunt, cybariae, arcus et culmina, modum enim virtutis in aedi-  
 fi ciis notabiliter excedunt, volentes coaequare exilium paradiso;  
 unde Turci et alii infideles videntes has mirandas structuras scan-  
 dalizantur et arguunt ex hoc, Christianos nihil de futura vita cu-  
 rare et sperare. Et ut finem faciam de primo, sciendum, quod  
 septem faciant fundationem illius urbis celebrem: 1) quia non est  
 fundata in terra, sicut aliae mundi civitates, sed in mari; 2) non  
 est aedificata a tyrannis, sicut Ninive, Babylonia, sed a tyannide  
 fugientibus; 3) non est aedificata a latronibus, raptoribus, ignobi-

Ende

Anfang